

da praememorata et infra scripta onera, quae unaquaeque Professio requirit, obligatur, et statuto praesenti sub poena amissionis Professionis una cum Collegiatura, praemissa nihilominus trina canonica monitione, adstringitur. Ferendus enim non est, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit, (l. un. §. Pro secundo. in fin. C. de Caduc. tollen).

STATUTUM XIX.

De Professore Regularum Juris.

Cum leges sacratissimae, quae constringunt omnium hominum vitas, ab omnibus (minores, milites et mulieres per l. Regula est ff. de Juris et facti ignoran.) si excipiamus ex dispositione (l. Leges sacratissimae C. de Legib. et constit. Princip.) sciri et intelligi debent; ideo Regulae Juris, quae compediosam plurium rerum narrationem ad cognitionem earundem perfectam recte ducant nec aliorum (jux. can. Regula. dist. 3.) trahant, in hac Facultate Juridica institutae sunt, ac ad easdem praelegendas Clarissimus Contubernii Jurisperitorum Senior pro tempore existens obligatus et adstrictus est. Qui ut suae obligationi et Professioni satis faciat, praedictas Regulas Juris tam ex Jure Canonico quam Civili ordine depromptas, diebus Sabbativis Pervigiliorum ac eo tempore, quo aliae Juridicae Lectiones vacant, exceptis diebus feriatis, juxta privilegium Friderici Cardinalis 1497. Die 8va Mensis Junii et Joannis Konarski Episcoporum Cracoviensium 1519. Die 1ma ejusdem Mensis Junii diligenter et cum profectu studentium praelegere ac eisdem ampliationes, Limitationes et Exceptiones adjungere tenetur. Nulla enim Regula tam firma est, quae non patiatur aliquam exceptionem. (arg. l. Illud relatum. §. Sane sunt ff. de Injur. et l. fin. C. In quib. causis in integr. restit. necessaria non est.)

STATUTUM XX.

De Professore Justiniano.

Quia honor est Magistro bonos habere Scholares. (gloss. in Proem. ff. §. Incipite v. maximum.) ac decus maximum eis

legum doctrinam et viam, quam Pater legum, (jux Authen. de Incest. Nupt. §. Dubitatum itaque Col. 2). Justinianus Imperator invenit, aperire; ideo ut utrumque, honorem scilicet et bonos Scholares, futuros (jux. d. §. Incipite) optimos justitiae et Reipublicae ministros habeat Justinianeus Professor, Discipulis suis viam ad arcana legalis scientiae quam planissimam in explicandis et pertractandis Institutionibus Justinianeis aperire curet. Lectionem suam ex classicis et approbatis Authoribus praecipue Starovolsco, Oinotomo, Wesenbecio, Schneidevino etc. compilet, eandem Constitutionibus Regni Nostri Poloniae, statutis, Consuetudinibus, Plebiscitis, Jure Saxonico, Magdeburgensi, pro exigentia materiae reficiat, ac ut eandem hora prima pomeridiana legendo, intra spatium unius anni omnino finiat, brevitati, modo ex ipsa non sequatur obscuritas et incertitudo, (Joan. Andr. in Proem. Decretal. v. Gregorius in princip.) doctrinam et praecautiorem sequendo, studeat. Prolixitas enim (jux. praescriptum l. fin. §. In refutatoriis C. de Appelat.) fragile hominis ingenium confundit, taedium animis Auditorum generat, (Constit. Justin. Imperat. §. Quibus. in princ. C. de Nov. Codic. facien.) nec aliquid eisdem confert suffragium. (Constit. ejusd. Imperat. loc. cit. de emendat. Codic. D. Justin.) Multo namque utilius est pauca idonee effundere, quam multis inutilibus homines praegravare. (l. 2. §. tedet si quid. C. de Veter. jur. enucleand.)

STATUTUM XXI.

De Professore Institutionum Juris Canonici.

Quemadmodum Sacrosanctum Evangelium non in verbis scripturarum, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla non in sermonum foliis, sed in radice rationis informante (can. Marcion. 1. 9. 1.) consistere novimus; ita Institutiones Juris Canonici ipsumque Jus Canonicum partim ex sacrae paginae praeceptis, ex Conciliorum tam Generalium (inter quae quatuor, Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum et Chalcedonense tanquam quatuor Evangelia et totidem Paradisi flumina, probata et recepta (can. 1. §. Inter caetera dist. 15.) primatum obtinet)